

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 5.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elystum-Meum. Die Martis. 7. Feb. 1809. (Neov. 17. Jan. 1809.)

Libellus hic ita est adornatus,
Ut annus ad menses est exactus.
Secundum naturam, influxumque siderum
Id quoque porro ex eo discitur:
De cibo, potione, alvi que purgatio,
Sectio venae, planetae que regnatio.
Excerpta ex Calendario Augustano de An. 1491.

Colloquentes Umbrae:

Matthias Lausberg. Georgius Palm.

Palm. **B**ona dies! Care Matthia Lausberge! ut se res habet, cum Practica astrologia?

Lausb. Fortassis & tu illorum es, qui sublimem hanc scientiam despiciunt?

Palm. Absit! ipse eram Calendarii Confector, at nunquam prognostica exsculpere potui, ausim rogare: quid nuper inchoato anno praesagiendum?

Lausb. (Paulum meditatur) Grandia eventa locum habebunt, planetae magna effluvia in Imperantes emitteat; grandia facta veloci pede se exeipient, multi Cursores expediendi erunt, Jupiter & Mars subtiles particulas in mundum dejicient, quas potentes insurgent,

tum bilis eorum in iram effundetur, mors multos potentes defalcabit, acria, multa, diuturna matribus detestanda decurrent prælia! —

Palm. Cum bona venia; an hæc e sideribus perspicias? unde, quæro, dira hæc, quæ proferebas, auguria?

Lausb. Mercurius regnans planeta est. Constat tibi ex historia: eum Tonantis nuncium, & a Marte declaratum furem esse, utriusque coecum pedissequum. Jam verò mente assequi potes, quantam devastationem terris inferendam habiturus sit, Fervide res agetur. Mercurio non soli constabit imperium; O quanti prospectus!

Palm. (ex imo cachinnatur) Apage, sis, dilecte Lausberge! quid cogitas? an putas: hodie dum homines tantopere insanire, ut Astrologiæ practicæ, mendaci & absque ratione receptæ doctrinæ fidem largiantur? Calendarium adeo olim celebre tuum, quod annis ante adhuc 40 Leodii in centenis aliquot millibus Exemplarium editum, hodie ceu sanæ rationi adversa merx, vetitum est. Hodie non valet amplius illud: Mundus vult decipi, ergo decipiatur; clariores jam habet notiones, & Calendariorum argumentum subest politiæ inspectioni, saltim receptum in omni meliore regimine habetur axioma: nullum prius Calendarium edendum esse, quam a concernente Collegio disquisitum, probatumque fuerit.

Lausb. Practica est multiplex — hæc mea minima cura; vulgus moribus se exui violente non sinit; propugnat veterem insaniam ceu Jura sibi competentia, quid, quæso, clarissimus Mathematicus Sturmius cum suis Calendariis absque tempestatum vaticiniis & venæ sectionum Tabellis profecit? — nullum reperit emtorem, an Regiæ Academiæ Berolinensi melior erat conditio? cum Anno 1779 declarasset: „Quam tolerare amplius nequeant; rudem Colonum per ratione destitutas tempestatum prædicationes, inanes dierum venæ incidendæ, scarificationi cutis, prolibus ablactandis opportunorum indices & alias id genus nænias complectentes, absque ratione insigniter deludi & pluribus vesanis argumentis decipi, eique imponi; quepropter jussisse; ut omnes idmodi nugæ deinceps e Calendariis suis expungantur &c. — Quid evenit? nundinæ (ait Krünitz in sua Encyclop.) frequentiores ac unquam erant, & apud Bibliopegas parietes murmure, sibillo, convitiis, execrationibus resonabant; qui vulgus noscere, naturamque multitudinis perspiciam habere vult, eo in loco eam conspiciat oportet, quo loqui ei fas est, ubi in ejus arbitrio situm pecuniam dare. Bibliopegæ plerique Calendaria sua retinuerunt, Cives & Coloni — pecuniam suam — satis Academia, aut Calendariorum ejus divenditores notabile passi cum novo hoc tentamine damnum, ut anno sequente veteris formæ Calendarium cum omnibus adpertinentiis re-

ducendum fuerit. Quod Calendarium meum hodie Leodii Interdicto adfectum, probat potens præpondium super opinione vulgi. Verum certus apud animum sum: ex hodiernis neo editis Calendariis non vendi tantam copiam, quanta meorum vendita est.

Palm. Huic equidem assentior ultro, at in multis Calendariis astrologica hodie signa non conpiciuntur: Calendarium quoddam Helvetum aliam cum his rationem tenet; ea quippe retinuit, verum iis novum sensum indidit, exempli gratia! — γ bonum est purgatum esse; ν bonum nomina contrahere, ω malum cervicem frangere, μ malum: esse thrasonem, \square bonum orare, & adorare, π bonum manducare, si quid præsto est, e. s. p. — In alio prædicatur etiam tempestas, eo solum a vaticiniis se distinguit Collegis suis: quod in Coronide vaticinium pro commento declaretur:” Existimabam probe (ait is) me cum tempestatum præsignis non erraturum, si Calendarium meum pro hyeme non intensos calores, & in canicularibus glaciales cumulos, sturiasque non prædivinaverit. Aliud præterea, quod loquendi formam non violat, retinet, ad nativam Calendariis phisiognomiam conservandam, vaticinica coelestia signa, & conscientiose addit: *Infantuli in hoc signo luci editi*, at in argumenti tractatu præsignium in jocum vertitur. Ita ad signum Tauri in Aprili dicitur: Taurus dominatur collo & gutturi, nonnunquam etiam capiti; quapropter nati in hoc si-

gno, si a parentibus suis male educati fuerint, siccas habent fauces, quas ad amphoram vini humectare gestunt; quod si vero aspidi dominetur taurus, erudi sunt, impoliti, feroces, ab obsequendo alieni, quapropter tempestive cornua iis obliganda. Ad signum virginis dicitur: — proles in hoc signo natas, non semper quidem virgineos foetus esse, singulares nihilominus habere animi dotes. Si masculæ: persuaderi sibi non sinunt: filiam 20 annorum cultiorem fore, quadragenaria majore; si vero feminæ; formosos masculos malunt videre, quam deformes, nec possunt ab hoc habitu abduci." Id genus paraphrastico sermone solummodo plebs, & ignobile vulgus ab errore revocari valet. Ridiculum animos oblectat, & ridento dicitur verum.

Laut. Mundus non vult — mundus mutatus est.

Palm. Aliud Calendarium, Chronologiam primo vestigio laciniarum papyracearum 565 annos tribuit; in Elencho coronatorum capitum adfert annum natalem & Electionis Imperatoris Sinensis, Magni Mogolis, Imperatoris Fez'ani & Maroccani, Regis Persidis, Dynastæ Babilonis & Mesopotamiæ, nihil integritati deest, quam ut exauctoratorum syllabum quoque adjiciat; Calendarium Helvetici Tabellionis anno 1806 Eclipsibus senis plures numeravit, quam alii Astronomi, videlicet: Eclipsim in Politica, in Christianismo, in Scholis, in Philosophia,

Medica & in re oeconomica." Ecclipsim in Philosophia, aut in amore utilis sapientiæ (ait) in nonnullis Statibus, in ipsa Gallia, atque Germania incrementum capturam, in qua in ejus vicem obtusa sophismata, aut fanaticorum deliria tanquam sapientia promulgantur; In Helvetia quoque, ita asseverant Astronomi, in quibusdam locis sapientiam non magnos progressus facturam, sanæque rationi repagulum ponendum, in vicem cujus hinc inde veterem percarum, sæpe noxium, attamen summi æstimatum morem retinendum esse.

Ex omnibus his concludo: quod eum Coloni pluralitatem & utilissimam maximeque necessariam Incolarum Civitatis Classem efficiant, publicam curam eo potissimum dirigendam esse, ut cordati probique parochi, justi humanique officiales bona, & non mendaciis repleta — Calendaria iis præbeant.

Lausberg. O novum mundum! quam procul in te res perducendæ sint, docebit experientia.

Palm. De præsentis utique bellicosa vivimus tempora, quibus experientia tantisper remaneat est necesse. Bellum hispanicum magnum adhuc excitat strepitum. Prodiit XXII. publicum Nuncium datum Benavento de 31. Dec. a. p. In eo legitur: gallicanum exercitum eo operationes suas direxisse, ut Anglos via Coronam & Feroliã prohibeat, eamque iis intercipiat; Angli ante

nōn nihil Salamantiam usque progressi sunt, verum consiliis motibusque Gallorum intellectis confestim versus memoratos portus se recepere, hacque ratione præscissionem viæ, & pugnam declinavere. — Paginis Parisinis de 11. hujus continetur quoque XXIII. publicum Nuncium de 1. Januarii Benavento, confirmat id receptum supra memoratum Anglorum versus Coronam & Feroliam memoratque: Hispanos sub duce Generali Romana cum Anglis stationem habuisse, in suo reditu adgressionem in eos factam, 1500 eorum in captivitatem redactos esse; utrumque Nuncium objectionibus adversus Anglos repletum est; eos plebem hispanam horribili ratione ad seditionem animasse, ei multas pollicitationes, nunquam in effectum deductas, fecisse, tribus continuis mensibus cum copiis substituisse, quin hispanis Insurgentibus opem tulerint, eosque nunc, quin manus conseruissent, discedere.

Ex Anglorum operationibus intelligitur: eos non per Lisabonam receptum adornare, ibi naves conscensuri, ex metu occasione turbarum talis receptus metropolem Portugallicæ facile in proclamatos hos auxiliares insurgere conscensionemque navium difficilorem reddere posse; hæc causa, quod minoribus urbibus præcedentiam tribuant, portusque præferant Coronam & Feroliam, qui 30000 armatorum facile defendi possunt, & tantum circitur numerum Angi efficiant.

B I O G R A P H I A.

Matthiam Lausberg olim celebrem esse Astronomum oportuit, quippe sub ejus nomine Leodii ante quam urbs hæc juris Gallici effecta fuisset, memorabile Calendarium in publicam lucem prodit. In eo continebantur vaticinia de bellis, morte illustrium virorum atque memoratu digna eventa, quæ quod fortuito eventu probata fuerint, incredibilem fidem prodigiorum præconi conciliaverunt. Calendarium hoc sub eodem significato post auctoris obitum continuatum, nunc per Politiam Gallicam vetitum suppressumque. Creditur hic Matthias cognatus celebris Mathematici Lausbergii circa 1576 Antverpiæ tum in Selandia florentis.

Palm Georgius Friedericus. Officii Præfatus Scheesellii in Principatu Verdensi, natus 14 Jan. 1760 privatam vitam egit usque 1779. Hannoveræ, & aliquot operibus honorificè se commendavit, præprimis, ut Editor novi popularis Calendarii ad annos 1795—99. 5 annorum decursu, & ut Biographus & Characterum illustrium virorum descriptor. 3 Tomos 1797 vulgavit. In Eggeri Germanico præmtuario, & Hannoverano, multi ejus conceptus leguntur. Obiit 24 Nov. 1797. In juniore ætate Theologiæ operam dedit. Ex ejus posthumis F. C. Rühlmann (Director Altsadensis Lycei Hannoveræ) 1800 novum populare Calendarium edidit, cui vita Palmii adnexa est.